



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

100. Censebant Sapiëntum nonnulli Principi plus mali obvenire posse à domo propria, quàm ab hostibus externis. Ità sibi persuasit Antigonus, dum orabat: servaret illum Deus ab hostibus & familiaribus. Rogatus cur non potius peteret servari ab hostibus solis; reposuit: *illum, qui palàm adversatur, cavendo facile evitare possum? ast ab eo, qui latet sub specie amici, quis me nisi Numen præservet?* Non sunt occultiores insidiæ, quàm quas construit Adulator ambitiosus, & invidus.



Dictamina Prudentia.

DECAS I.

Optimus Prudentiæ Magister experientia est: nullam artem minori sumptu addidiceris. Quid facilius, quàm sapere insaniâ? ut aptè rebus utaris, occasio facit. Sapiens eam prospicit, antequam adsit, stultus post tergum respicit ubi transierit.

2. Princeps Prudentiæ ratio est non præsentibus solùm intendere, sed futuris. Oculos Lyncium referunt penetrare mu-

ros,

ros. Certius est, prudentis aciem penetrare omnia tempora: recordatur præteriti, operatur in præſenti, & futura disponit.

3. Qui cupit doceri prudentiam absque Magistro, arguat se in eo, in quo alios reprehendit. Seipsum docet, qui alienos nævos objecerit sibi.

4. Amusis actionum tuarum Ratio sit. Nulli bene feceris, quia amas: nullum punieris, quia odisti. Iratus neminem castiga: gaudio perfusus abstine largiri; non quòd largiendum non sit cum hilaritate, sed quòd non deceat propter illam.

5. Felicius evenit, quod prudentiâ dictante, quàm quod ex confidentia fortunæ suscipitur. Melior est dubius eventus cum maturo consilio, quàm felix cum temeritate.

6. Secretum clavis est cordis. Frustrâ quereris pervenisse ad omnes, quod non poteris uni subticere. Quod volueris plures ignorare, illud dixeris omnino nulli. Quî potes alterum ad secretum obstringere, qui per eandem confidentiam, quâ silentium imponis, violas?

7. Fatuus, dum silet, sapientem simulat; sapiens autem tacendo confirmat se esse. Lingua parca augurium est largæ mentis. Nihil periculosum minus, nec honorificum magis quàm temperantia linguæ; uti ex adverso nihil periculosum magis & honorificum minus ac verborum abundantia.

8. Noli confidere alteri, quod nondum certum est tibi. Si res potentem tangat aut prædivitem, quod in aurem murmuraveris, credito divulgandum per orbem universum. Assentator enim divinat de internis, & quasi jam factum judicat, quod vix coepisti cogitare.

9. Proficue errat, qui bene loquitur de omnibus, neque cenferi potest adulatio (pestis humanæ conversationis) quando non potentes solum, sed & illos commendamus, quos fortuna despexerit.

10. Lingua bona hoc scenore gaudet, ut de ipsa loquantur omnes bene, quæ de nullo novit loqui malè.

DECAS II.

11. Affectant aliqui prudentiam, irascendo singulis, & critizando, quæ alii probârunt,

rint,